



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CLXVI. Bischof Hermann von Camin beurkundet nochmals, unter dem
Insigel seines Capitels, daß er den Markgrafen Otto, Johann und Konrad
von Brandenburg das Land Lippehne, ausgenommen das Dorf Letenin ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

CLXV. Bischof Hermann von Camin beurkundet, daß er den Markgrafen von Brandenburg, Johann, Otto und Konrad, das Land Lippene verkauft und daß der Markgraf Johann die Zahlung des schuldigen Kaufgeldes mit dem Gelöbniße des Einlagers versichert habe, am 18. August 1276.

Nos Hermannus, Dei gracia Caminensis episcopus, recognoscimus protestando, quod illustribus principibus, consanguineis nostris dilectis, domini Johanni, Ottoni et Conrado, marchionibus de Brandenburg, vendidimus terram Lippene cum terminis suis et cum omni iure et proprietate, decimis, aquis, fluminibus, stagnis, fundo et omni utilitate, preter villam Letenin cum terminis et attinentiis, quos dinoscitur antiquitus habuisse, et medietatem ville Coselitz, que sita est in parte terre Lippene, quas villas nobis et nostris successoribus referuamus, pro tribus milibus marcarum argenti, de qua pecunia dicti principes soluent duo milia marcarum in festo Epiphanie et mille in pasca, festis proxime nunc venturis, nobis siue successoribus nostris. Promisit autem dominus Johannes marchio cum quatuordecim militibus, et adhuc promittent sedecim milites octo diebus, postquam prefati principes a nobis moniti fuerint, terminis premisis se soluturos pecuniam memoratam. Quod si in solutione cessauerint principes sepedicti, vnus Marchionum eorundem cum militibus, qui secum promiserunt et promittent, quindecim diebus post monitionem nostram, ciuitatem Pozwalk intrabunt, inde minime recessuri, nisi de pecunia memorata et dampnis, si aliqua inciderimus occasione pecunie, in premisis terminis non solute, nos reddant indempnes, liberos et solutos. Si vero aliquis militum de fideiussoribus Pozwalk intrare non poterit, alium statuet loco sui. Dabimus etiam super premisis sepius nominatis principibus litteras nostras, sigillo nostro nec non capituli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M^o. CC^o. LXX^o. VI^o., feria tertia post assumptionem beate virginis, in Pozwalk et actum ibidem.

Nach einer vom R. Archivar, Freih. v. Medem, mitgetheilten Abschrift des Originals im Provinzial-Archive zu Stettin. Nach einem Copialbuche abgedruckt in Gercken's Cod. 1, 229.

CLXVI. Bischof Hermann von Camin beurkundet nochmals, unter dem Insignel seines Capitels, daß er den Markgrafen Otto, Johann und Konrad von Brandenburg das Land Lippene, ausgenommen das Dorf Letenin und das halbe Dorf Coselitz, für 3000 Mark verkauft habe, am 30. August 1276.

In nomine domini amen. Hermannus, Dei gracia Caminensis ecclesie episcopus, omnibus in perpetuum. Cum multociens actus legitimi propter diuersos casus, qui rebus humanis incidunt, inmutentur, expedit ut scriptis autenticis ad perpetuam rei memoriam, quibus probari valeant, confirmetur Ad singulorum igitur notitiam tam presentium quam futurorum, presens scriptum cernentium, cupimus pervenire, quod nos de consensu com-

muni terram nostram Lippene cum proprietate et terminis suis vendidimus illustribus principibus, dominis Ottoni, Johanni et Conrado, fratribus, marchionibus de Brandenburg, et eorundem heredibus, pro tribus millibus marcarum argenti, sicut et nos ipsam terram possedimus, cum aquis, fluminibus, riuulis, pratis, pascuis, stagnis, paludibus, piscariis, theloneis, pedagiis, silvis, nemoribus, agris cultis et incultis, usuagiis, cum omni iure et utilitate, que in dicta terra esse dinoscitur vel pro tempore in ea haberi poterit vel acquiri, preter villam Letenin cum terminis suis, item et medietatem ville Coselitz, sitam in terra Lippene, que, sicut ad hec tempora habuimus, cum omni iure nobis et nostris successoribus referuamus. Testes autem huius sunt etc. *). Vt autem presens nostra ordinatio seu venditio perpetuam obtineat firmitatem, eam per presens scriptum desuper confectum et sigilli nostri nec non conuentus nostri appensionem fecimus roborari. Datum Camin, anno domini M^o. CC^o. LXX^o. VI^o., III. Kalend. Septembris.

Nach einer vom K. Archivar, Freih. v. Medem, aus dem Provinzial-Archive zu Stettin mitgetheilten Abschrift und einem Copialbuche des Geh. Kabinet-Archives I. C. 4 in quarto fol. 46, wernach die Urkunde auch in Gercken's Cod. I, 228 abgedruckt ist. Aus dem letztgedachten Copialbuche ist insonderheit das Datum III. kal. Septbr. beibehalten, während nach der erstgedachten Abschrift, welche sonst dem obigen Abdrucke zu Grunde gelegt ist, das III. (tertio) fehlt.

CLXVII. Schiedsspruch der Bischöfe Berthold von Würzburg und Bruno von Olmütz, des Pfalzgrafen Ludwig von Bayern und des Markgrafen Otto von Brandenburg zwischen dem Österreichischen Könige Rudolph und dem Könige Ottokar von Böhmen, vom 21. November 1276.

Nos Berhtoldus Herbipolensis, Bruno Olomuzensis episcopi, Ludewicus Comes Palatinus Reni Dux Bawarie, Otto marchio Brandenburgensis, arbitri dominorum Romanorum et Boemie regum, super questionibus, que inter ipsos super diversis terris et principatibus vertebantur, arbitrando pronuntiamus, quod revocentur et retractentur, immo revocate sint, omnes sententie proscriptionis, excommunicationis, interdicti, privationis et quecumque alie, promulgate contra dominum Otakarum regem Boemie et adherentes sibi, quocumque nomine censeantur. Item pronunciando arbitramur, quod inter ipsos Romanorum et Boemie reges plena sit concordia, pax firma et sincera reconciliacio, sine qualibet captione; et servitores utriusque regum, quocumque nomine censeantur, huiusmodi paci, concordie ac reconciliacioni cum sinceritate firmissima includantur, castris eorum, municionibus, possessionibus et hominibus, contra jus ab alterutro regum ipsis ablati vel a suis, cum integritate debita restituti. Item arbitramur, quod Dominus O. Rex Boemie cedat simpliciter et precise omni iuri, quod habebat vel habere videbatur in terris et hominibus, cuiuscumque conditionis existant, Austria, videlicet Styria, Karinthia, Carniola, marchia, Egra et Portu Nahonis. Item arbitramur, quod deinceps non impediatur

*) Die Namen der Zeugen sind nicht angegeben.